



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De modo vindicandi. 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

Cuiuslibet autem virtutis actus ex radice charitatis procedit: quia ut Gregor. dicit * in quadam homil. *hom. 27. in euāg. circa prēci pium.* Nihil habet viriditatis ramus boni operis, si non procedat ex radice charitatis.

Ad tertium dicendum, quod vindicationi opponuntur duo vitia. Vnum quidem per excessum, scilicet peccatum crudelitatis vel sauitiæ, quæ excedit mensuram in puniendo. Aliud autem est vitium, quod consistit in defectu: sicut cum aliquis est nimis remissus in puniendo. Vnde dicitur Prover. 13. Qui parit virgæ, odit filium suum. Virtus autem vindicationis consistit in hoc, ut homo secundum omnes circumstantias, debitam mensuram in vindicando conferuet.

ARTIC. III.

Virum vindicatio debeat fieri per pœnas apud homines consuetas?

AD tertium sic proceditur. Videtur, quod vindicatio non debeat fieri per pœnas apud homines consuetas. Occisio enim hominis est quædam eradicatio eius. Sed Dominus mandauit Matt. 13. quod zizania, per quæ significantur filij nequam, non eradicarentur. Ergo peccatores non sunt occidendi. 566

¶ 2 Præterea, Quicumque mortaliter peccant, eadem pœna videntur digni. Si ergo aliqui peccantes mortaliter, morte puniuntur, videtur quod omnes tales deberent morte puniri. Quod patet esse falsum.

¶ 3 Præterea, Cum aliquis pro peccato punitur manifestè, ex hoc peccatum eius manifestatur. Quod videtur esse nociuū multitudini, quæ ex exemplo peccati sumit occasionē peccandi. Ergo videtur quod non sit pœna mortis pro aliquo peccato infligenda.

S ED contra est, quod in lege diuina huiusmodi pœnæ determinantur, ut ex supra dictis patet*.

R E S P O N D E O dicendum, quod vindicatio *1. 2. q. 103 ar. 2.* in tantum licita est & virtuosa, in quantum tendit ad cohibitionem malorum. Cohibentur autem aliqui a peccando, qui affectum virtutis non habent, per hoc

00 3 quod

quod timent amittere aliqua, quæ plus amant quàm illa quæ peccando adipiscuntur: aliàs timor non compeferet peccatum. Et ideò per subtractionem omnium quæ homo maximè diligit, est vindicta de peccatis sumenda. Hæc autem sunt quæ homo maximè diligit, vitam, incolumitatem corporis, libertatem sui, & bona exteriora, pura, diuitias, patriam, & gloriam. Et ideò vt August. refert 21. de ciu. Dei, octo genera pœnarum in legibus esse scribit Tullius: scilicet mortem, per quam tollitur vita: verbera, & talionem, vt scilicet oculum pro oculo perdat, per quæ amittit quis corporis incolumitatem: seruitutem, & vincula, per quæ perdit libertatem: exilium, per quod perdit patriam: damnum, per quod perdit diuitias: ignominiam, per quam perdit gloriam.

lib. 21. c.
11. parã
à princ.
tom. 5.

Ad primum ergo dicendum, quòd Dominus prohibet eradicari zizania, quando timetur ne simul cū eis eradicetur & triticum. Sed quandoque possunt eradicari mali per mortem, non solum sine periculo, sed etiam cum magna utilitate bonorum. Et ideò in tali casu potest pœna mortis peccatoribus infligi.

Ad secundum dicendum, quòd omnes peccantes mortaliter, digni sunt morte æterna. quantum ad futuram retributionem, quæ est secundum veritatem diuini iudicij. Sed pœnæ præsentis vitæ sunt magis medicinales: & ideò illis solis peccatis pœna mortis infligitur, quæ in grauem perniciem aliorum cedunt.

Ad tertium dicendum, quòd quando simul cum culpa innotescit & pœna vel mortis, vel quæcumque alia, quam homo horret: ex hoc ipso voluntas eius à peccando abstrahitur: quia plus terret pœna, quàm alliciat exemplum culpæ.

ARTIC. IV.

Utrum vindicta sit exercenda in eos, qui inuoluntariè peccauerunt?

567

AD quartum sic proceditur. Videtur, quòd vindicta sit exercenda in eos qui inuoluntariè peccauerunt.

Ve-